


Biogr. er. D
1560,12



10021

VITAM AC MERITA
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE
DOCTISSIMI
SIGISMVNDI ANDREAE
CVNONIS

DVCALIS ATHENAEI SCHENINGENSIS RECTORIS
DE STUDIO IVENTVTE
MERITISSIMI,

ET ANTE HOS NOVEM RETRO MENSES
PRO EMERITO CLEMENTISSIME
DECLARATI,

COLLEGAE SVI, DVM VIVERET,
CONIVNCTISSIMI,

D. XXVII. SEPTEMBRIS A. cIo Io cc XLVII
PIE PLACIDEQVE DEFVNCTI

AFFECTVS SVI AC BENEVOLENTIAE TESTANDAE
ERGO CELEBRAT

IOHANNES FRIDERICVS NOLTENIVS
IN CATHEDRA BEATE DEFVNCTI
HODIE RECTOR.



HELMESTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Biogr. erud.

D.
1560, 12

Vitt. Erud. Vol. 12. 1560

UNIVERSITÄT DRESDEN

LIBRARY

STRECHEN 10

1875

1875

1875

1875

1875

81,58

1875

1875

1875



TAMETSI diu quis vivendo multa, quae non vult, videt; & nimirum diu vixisse, interdum nocet: sapientis tamen est, moderari animo per omne aetatis tempus, praesertim autem sub ipsum vitae annorumque decussum sic se instituere, ut, quae a Deo, sapientissimo vitae nostrae arbitro, proficiscuntur, sive ea sint grata, sive molestiam non numquam adferant, haud insolentius aut repugnanter, sed aequo pioque animo ferat, ferendumque semper esse existimet. Exstiterunt omni tempore viri graves & pii & omni sapientiae laude cumulati, qui senectutem reliquis vitae partibus anteponendam esse duxerint, quod rarum & pulcherrimum Dei immortalis donum sit, & concussae mentis adferat tranquillitatem, & tanquam portum in naufrago ac procelloso mari ostendat: nec indigno animo tulerunt unquam, quod primae aetatis florem amiserint, quem, si vel maxime votis poterant, haud recuperare tamen concupivissent; sed aequa mente & lactabundi quasi vitae exitum non quidem magnopere optarunt, at expectarunt tamen, ut sibi, hoc aequitatis sensu adhibito, senectutem efficerent mollem atque adeo iucundam. Quorum quidem animi moderationem, rectumque de rebus iudicium dum curatius expendimus, taedet omnino humanae levitatis & in-

constantiae. Sunt enim plerique mortalium sic a natura comparati, ut senectutem votis omnibus expetant, & nemo temere fit, qui non quam ferissime interire rebusque humanis eripi cupiat: at ubi adepti eam sunt, quod paucissimis contingit, damnare vota solent & felicitati suae quadamtenus irasci. Quae autem est vecordia ista & quanta distortae mentis perversitas, optare impensius, quod aliquando vehementer averferis, idque penitus odisse, quod ab ineunte aetate tantopere expetieris, ac coeleste beneficium fastidire, nec deprecari modo, sed ultro conviciis impetere senectutem: quam qui sua culpa non adsequuntur, ii vero vitae suae exitum Deo favente haud inveniunt, sed, in eundem coniecti, morte sua puniuntur gravissime. Quid coelum fatigas precibus? quid inani votorum ambitu Deum obtundis, ut in ultimas metas tibi aevum extendatur, quo vitae tuae annos exigere ad memorabiles non nullas temporum periodos possis? si te deinceps non pudet stomachari, quum voti damnatus es, atque una cum vulgo, quod verborum non minus, quam ipso vitae usu profanum fere est, senectutem carpendo absurdum in modum dicaculus es, & nescio quod sermonis inepti frigus inducis, sapienti & ad sacrae religionis leges instituto homine prorsus indignum.

Haud ea nobis mens est, ut ex ingenio fingamus non nulla, & a Philosophis praesertim mutuemur ea sapientiae placita, quibus potiores senectutis molestias abstergamus: id enim nimis foret longum, & magnam dicendi copiam ingeniique fecundioris ubertatem postulat: sed id agendum nobis videtur esse, ut singulari senilis patientiae exemplo, quae generatim diximus, aliquanto copiosius illustremus. Id autem mirifice praebet, cuius honori & memoriae hanc scriptionem consecramus, qui paucis abhinc diebus placide in eo aetatis termino, qui a summo quam proxime abest, ex hac vita discessit, vir multorum annorum meritis, quibus rem ornavit scholasticam, gravissimus, SIGISMUNDVS ANDREAS CVNO. Ducalis scholae nostrae Rector ante haec tria treme-
stria

stria spatia clementissimo Principis nostri indultu pro eme-
 rito declaratus. Obiit ille vitae annorumque satur, quum
 premerent ipsum multa provectioris aetatis incommoda;
 quamvis, se iisdem premi, numquam magnopere conque-
 stus est: ea enim animi moderatione admixtos longiori aeta-
 ti acerbioris fortunae casus tulit, ut, qui per tot annos iu-
 ventutem, populum illum futurum, omni adhibita animi
 contentione docuit, inter muros doctores esse nunc possit,
 qui sine peculiaribus hunc in finem ab se concinnatis libris
 non nisi exemplo suo omnes, qui id intueri velint, docere
 copiosius possint, qua animi aequitate ferenda senectus &
 ipsa mors sit. Sic autem quum affectus fuerit noster, pro-
 clive iudicatu est, eas etiam in eo animi dotes effulisse,
 quae dignae sint, ut ad posteritatis memoriam, litterarum
 beneficio, transmittantur. Quod dum facere adgredimur,
 ita easdem in conspectum producere visum est, ut, quis eius
 vitae bene ac laudabiliter transactae cursus omnino fuerit,
 percensendo breviter commemoremus. Hae partes sunt,
 quas suscipimus: hoc ultimum humanitatis officium, quo
 concupiscimus erga venerandum senem, triginta annorum
 collegam defungi.

Primam lucem ei dedit haec ipsa, quam per quadraginta
 annos, tanquam publicus iuventutis, litterarum doctrinis
 deditae, doctor, tam voce, quam scriptionibus, cum eru-
 dito orbe communicatis, ornavit, urbs nostra, in qua natus
 est CLXXV. die XVIII. Aprilis, ex familia, qua pater-
 num, qua maternum genus, valde honesta, meritorum
 splendore, dignitate natalium & singulari nominis existima-
 tione praefulgente. Patrem nactus est virum integerrimum
IOHANNEM HENRICVM CVNONEM, civitatis huius pri-
 mo quidem Camerarium, deinde etiam Consulem spectatis-
 simum ac prudentissimum: qui e praeclare virtutis ac pieta-
 tis femina, ELISABETA HEDWIGE RAPPOSTIA, filium
 hunc suscepit. Avus paternus ipsi fuit IOHANNES CVNO,
 mercator apud Neo-Haldenslebienses ac civis primarius:

cui sancta matrimonii lege coniunctam esse animadvertimus
 ELISABETAM MÜNSINGIAM. Proavo Paterno gavifus est
 IOHANNE CUNONE, Ecclesiarum initio quidem Hinden-
 burgensis in Westphalia, postea etiam Flechtingensis in Ve-
 teri Marchia Antistite ac Verbi Divini Praecone multos per
 annos ea fide ac sanctitate, quam tanti muneris gravitas coe-
 lesti sibi iure vindicat & tamquam deposcit, conspicuo: cu-
 ius Uxor erat ELISABETA GEVENSLEBIA, haud vulgare
 sexus sui decus. Abavum habuit virum strenuum atque illu-
 strem, IOHANNEM CUNONEM, qui sub Imperatoribus
 CAROLO V. & FERDINANDO I. ultra triginta
 annos stipendia fecit, eaque fortitudine in bello operam na-
 vavit, ut non tantum ad summos Chiliarchae honores ad-
 scenderet, sed etiam ob res fortiter & cum singulari pruden-
 tia gestas, & complura egregia facinora, quibus praesertim
 contra Turcam, infensissimum Christiani nominis hostem,
 incredibile invicti animi robur declarasset, equestris ordinis
 dignitatem & nobilitatis insignia peculiari diplomate a glo-
 riosissimae recordationis Imperatore Ferdinando obtineret,
 quod etiam hodieque ab agnatis adservatur, ut ipsorum po-
 steri tantae virtutis memoria excitentur, probeque intelligant,
 eo ipsis connitendum esse, ut, si minus aequare hanc animi
 altitudinem & robustissimae mentis decus possint, haud ta-
 men in se aliquid admittant, quod animum abiectum ac de-
 generem arguat, tantoque heroë, unde natales duxerint,
 atque ipsorum honestissimo genere indignum esse videatur:
 idque negotii iure meritoque sibi datum esse existimabit gens
 Cunonia, quum huic progenitori suo in matrimonio fuisse
 intelligat, sui itidem auctorem sanguinis, matronam prorsus
 insignem & marito suo dignissimam quae nihil muliebri,
 nihil feminei, praeter corpus, prae se unquam tulisse fertur,
 CATHARINAM OHRDORPIAM: haec enim est communis
 illa Cunoniae gentis mater, non, quae aliquando publicis
 scriptis, in funere FRANCISCI CUNONIS, Consulis Helm-
 stadiensis, & ANTONII WERNERI CUNONIS, Rectoris
 ludi

Iudi litterarii Magdeburgensis, editis pro ea per errorem habita est, posterior herois huius Coniux, OTTILIA von der PVTTE, de cuius gemina prole nihil constat praeter id, quod viennam in iuventute abierint. Paterno generi maternum ex asse respondet. Operae ergo putamus pretium esse, huius etiam iniicere mentionem, quum iucundum non nullis ac volupe esse soleat, si qua notatu digniora de honestis quorundam familiis innotuerint, ea habere in promptu & tenere accuratius. Ita beate defuncti matrem ex se genuit HENRICVS IVLIVS RAPPOST, Consul huius oppidi atque Aurifaber in aula Serenissimae Lycei huius Fundatricis, Annae Sophiae, cui ab obitu Serenissimi Coniugis Friderici Vlrici sedem heic loci tunc temporis fixam atque constitutam fuisse, inter omnes loci huius incolas abunde constat: atque hic in matrimonio habuit ELISABETAM HEDWIGEM KLAGHOLZEN, viri spectatissimi BURCHARDI KLAGHOLZII, Consulis Guelpherbytani, & generosi stemmatis matronae ELISABETAE HEDWIGIS ab SÜHNEN filiam probatissimam uniceque dilectam. Proavus maternus nostro obtigit HENRICVS RAPPOST, in Serenissimi modo dicti Friderici Vlrici aula Gemmarius, inque ordine militari Locumtenentis, quem dicunt, dignitate simul *conspicuus*: cuius coniux, nostri abavia, MAGDALENA von der PVTTE, omni virtutum, quae quidem in sequiorem sexum cadunt, conspicua, id, quod rectum & cum honestate coniunctum est, in omni vitae actu ita prodidit, ut omnium in se oculos converteret, & exemplo esset virtutum feminearum decus studiose diligenterque consectantibus.

Haud in exigua humanae felicitatis parte est ponendum, si quis non de faece plebis sit, sed ab iis hominibus, quorum quaedam honorarior vivendi conditio obtigit, ortum trahat: non quidem eam ob causam, quae inani fastu & vanitate non nullorum hoc in genere vehementer ineptientium continetur, quasi purior & defaecatior eorum sit sanguis, qui vitae huius difficultatibus haud sint tantopere impliciti,
ut

ut per sordidum aliquod opificium vel alio contempto ac misero labore vitam tolerant, aut quasi solidae aliquid laudis a maiorum dignitate derivari, ac praerogativae non nihil ad posteros transferri existimemus; sed quod ex humili admodum sorte facile ea contrahatur in moribus & ipsa vivendi ratione labes ac macula, quae deinceps per hereditatem quasi propagetur, & sic generi inhaerescat, ut aegerrime erudicari non nunquam possit. Nemo prudentior temere spreverit homines plebeios & infimae conditionis, si erectiori indole sint, & honestatis studio ducantur. In tenuissima sorte, immo in infimo proletariorum ordine nobiles esse possumus; & contra in summa generis claritate inepti ac futiles. Quid iuvat, natum esse maioribus quantivis pretii atque omni laude dignissimis, si ab eorum virtute desciscas, si degener sis, & praeter egregium familiae nomen nihil magnopere prae te feras, quo distingui possis ab inertis eorum turba, qui sunt contemptissimi. Tum demum prodest parentum decus, si id vel augeas, vel conserves. Hac enim natalium felicitate a Deo, omnium eorum, quae futurae singulorum sorti subserviunt, sapientissimo dispensatore adiutus noster in id pro virili & dedita opera incubuit, ut ne illis dedecori umquam aliquo modo esset. Animadvertentibus hanc eius indolem, atque hoc in eo virtutis avitae studium dilexerunt non minus optimi parentes, quam omnes reliqui, quos vel artior quaedam consanguinitas, vel aliud interioris familiaritatis ac consuetudinis vinculum cum eo coniunxerat.

Postquam in hanc vitae communis lucem, obstetricante benignissimi Numinis misericordia, editus esset, nil curae cordique parentibus erat magis, quam ut, cui eundem pie consecraverant, Servatori suo per sacrosanctum ab eodem institutum lavacrum offerretur, atque hoc salutis aeternae generi humano divinitus concessio pignore initiaretur ad obtinenda iura illa coelestia, quibus per adoptionem Deus, magnus ille conditor humanae gentis, quam tantopere per Christum amat, patrem se declaravit esse benignissimum. Spon-
sionis,

fionis, quae cum hoc actu sacro coniuncta est, partes pro eo subierunt agnati non nulli ac necessarii: nominatim SIGISMUNDVS GEORGIVS SCHÖPS, Supremus in aula Guelpherbytana rei oeconomicae Administrator; IOANNES ANDREAS DÖPLER, tractus illius provincialis, qui ab hoc oppido nostro pendet; Summus Praefectus & Arbiter; & tandem ANNA KÖTHERIA, FRANCISCI CVNONIS, Consul Helmfstadiensis, qui beate defuncti erat patruus, dilectissima coniux. Sic Servatori nostro insertus adolefcebat feliciter, utroque parente id operam dante, ut, quum primum ingredi coepit, haud iret, quo ducere perversa hominum indoles solet, & quum primum fari potuit, haud loqueretur, quibus tenelli animi perperam fere imbuuntur, si soli nutricularum curae prima eorum aetas committitur, & in fervorum ancillarumque grege educantur, sed ut contenderet, quo pietatis, ad quam mature instituebatur, iussu contendendum erat, & ut crebris usurpare sermonibus addisceret, quae cum honestate ac vitae scopo sapienter posito coniunctissima sunt. Pueritiam transegit, litterarum rudimentis imbuendus, primo quidem apud parentes, deinde Guelpherbyti in aedibus agnati, qui eum de sacro levarat fonte, modo laudati SCHÖPSII: hic enim filio suo unico nostrum, tamquam studiorum socium ac comitem, sibi expetierat, ut hoc adscito aemulo sub informatione domestica ille proficeret felicius. Sub hoc contubernio, sub hac studiorum diaeta integrum effluxit sexennium: quo elapso consultum patri videbatur, ut domum rediret filius, & in scholae nostrae subselliis telam, quam exorsus Guelpherbyti esset, maioris ingenii cultus capefendi ergo pertexeret. Redux factus felices animorum adeptus est formatores, ADAMVM IVLIVM AVGSPVRGIVM, Rectorem, & BERNHARDVM BETKIVM, Con-Rectorem, Scholae autem Auricanae in Frisia Orientali postea Rectorem: & sub utriusque ductu tamdiu profecit, donec ab agnato M. ANTONIO WERNERO CVNONE, Gymnasii Parthenopolitani Rectore, & suis meritis

tis & multorum sermonibus celebrato, invitabatur, ut etiam ab ipsius & collegae sui M. GOTHOFREDI BERGENERI, Con-Rectoris, ore aliquamdiu penderet, antequam iret in Academias. Obsecutus tam benefico, quod ipsum vocaret, fidere, nanciscebatur eodem favente hospitium liberale & valde commodum apud Virum Consultissimum HENRICVM SEBASTIANVM WESCHIVM, modo dictae civitatis Magdeburgensis Consulem gravissimum, cuius filium ac duas natas omni, qua posset, diligentia instituit, & sic omnino fidem illi approbavit suam, ut benevolentissimus hospes ipsum, istinc in Academias abeuntem, filio suo natu maiori, eiusdem demigrationis societam inituro, vitae studiorum ephorum adiungere secum constitueret: & sane adiunxisset, nisi interventu mortis optimi huius viri id, quod decretum erat, fuisset impeditum. Abiit ergo solus in Academiam patriam, nobis vicinam, suaque maximarum laudum fama illustrem, deque bonis litteris & omni eruditione immortaliter meritam Juliam, quae ante hos binos annos novum quasi conditorem in clementissimo CAROLO nostro nacta, nomine nunc duplicato *Iuliae Carolinae* superbit: abiit autem A. MDLXXXVII. d. VI. Aprilis, matura aetate, & obfirmatus iudicio, fatisque praeparatus & pulcherrime imbutus iis linguis ac doctrinis, quae singulis universae eruditionis, humanae ac divinae, partibus subserviunt, eamque sternunt viam, quae sine his initiamentis aspera solet esse ac salebrosa, inque eos labyrinthos desinens, unde posthac, si qui bonarum litterarum cultores semel iis impliciti sunt, expedire se, omni quamvis adhibito studio & prudentia, rarissime possunt. Albo, quod vocant, Academico insertus est sub Pro-Rectoratu magni illius Medici, HENRICI MEIBOMII. Docebant tum, quorum integritatis ac doctrinae fama iam dudum in tuto collocata est, quum terris erepti sint atque invidiae, viri mirifica eruditione & incredibili quadam varietate rerum atque copia abundantes, quorum scholis beate defunctus sedulo interfuit, eorumque verba sic avidè imbibit, quasi diurnam

turnam

turnam sitim explere cupiens : quamvis discendi hunc ardorem ex eorum Professorum, quibus se limandum praecipue tradiderat, aliorumque sapientiorum consilio & arbitratu prudenter moderari sciebat: id, quod exemplo eius tenendum ab omnibus est, qui in sublimioribus illis omnimodae eruditionis sedibus vere & ex voto proficere cupiunt, ne, quod accidere multis, qui turbate res suas instituunt, solet, sperato industriae fructu excidant, eisque exprobrandum aliquando sit, magno quidem ipsos conatu rebus pulcherri-
 mis & mira varietate iucundis, at inaniter tamen & sine certo emolumento rerum deinceps agendarum operam dedisse. Ab iis praesertim humanae sapientiae doctoribus, qui artem cogitandi cum dicendi venustate & elegantia coniungebant, ea tempestive hausit, quibus ornari ante omnia vellet, nihil omnino eorum negligens, quod scopo suo conveniret, sive docere aliquando cuperet e scholarum pulpitis, quo tum singulari studio a prima illico iuventute trahebatur, sive ex sacro suggestu, quem, si Deo sic visum esset, & dignitate corporis, quam a natura habebat, & animi recte ac pie sentientis gravitate, & bonis tandem lateribus valde ornasset: quum praesertim, quoties ad sacram concionem verba fecit: fecit autem saepissime: qui eum audiverunt, singulari se dicendi flumine affectuque eius haud mediocriter perculsos esse, libera professione adfirmare haud dubitent. Atque ut descendamus ad ea, quae particulatim ab hoc atque illo Doctorum hauserit; sic habeto: per singulos enim eamus disciplinarum, quibus se curatius imbuendum vellet, titulos. In Logicis nempe ac Metaphysicis audivit IOHANNEM BARTHOLDVM NIMEIERVM; in linguis orientalibus HERMANNVM VON DER HARDT; in Physicis FRIDERICVM SCHRADERVM; in Politicis, & quia mathematicum professio aliquamdiu tunc vocabat, etiam in Mathematicis IVSTVM CHRISTOPHORVM BOEHMERVM, qui ceteroquin Mathe-
 seos publice docendae partes nec appetiit umquam, nec appetere voluit, nec umquam consecutus est; in eloquentia ci-

vili CASPAREM CÖRBERVM; in ea Theologiae parte, qua sanctiora dogmata inculcantur, CHRISTOPHORVM TOBIAM WIDEBVRGIUM; in Polemicis & Ecclesiae Antiquitatibus IOANNEM ANDREAM SCHMIDIUM; in Homileticis & eo diviniore doctrinae genere, quod explicat quaestiones dubias & ancipites de moribus ad Christianam vitam, conscientiamque moderandam spectantibus, IOHANNEM FABRICIUM & FRIDERICVM WEISIUM. Huiusmodi recitationibus optimorum ac probatissimorum viroꝝ, qua publice, qua privatim, operam dabat diligentem & adfiduam per annos quinque.

Nunc in eo erat, ut contenderet Lipsiam, elegantioris litteraturae constantem illam adfertricem ac vindicem, singulare totius Germaniae lumen. At vero compendiebat Deus omne hoc consilium, aliorsum eum vocans, iisque illico adstringens vinculis, quibus liberari umquam deinceps nec potuit, nec omnino etiam, qua erat in Deum fide, voluit. Tangraemunda, haud ignobile veteris Marchiae oppidum, ad Tonagram seu Tangram, ubi in Albim se exonerat, situm, inaudierat aliquid de praeclaris animi eius dotibus, eumque aptum credebat esse muneri Rectoris scholastici, quod hoc ipso tempore apud se vacabat. Brevibus ut dicam, vocat illa nostrum, & vocatum illico impetrat, auditque, quum a. cl. lccc. d. xx. Octobris beate defunctus hoc sibi oblatum munus adiret, *de boni praeceptoris ac discipuli officio* oratione terfa & ornata differentem, quae nota quidem omnibus sunt, sed haud perinde ipso usu satis increbuerunt. Vixit hac in statione quinque annos coelebs, nullis, nisi Musarum, amoribus irretitus: quae etsi animum eius satis pascere, multumque ei adferrent voluptatis; non tamen id praestabant amplius sic, ut ipsum sibi vindicare possent totum, nec adeo occupare animum eiusdem poterant, ut ab re uxoria porro abstinere vellet, quum praesertim rei familiaris conditio coniugii ineundi rationes magnopere urgeret. Praemissis ergo precibus ad Deum, castitatis matrimonialis
mutui-

mutuique amoris, qui inter coniuges est, auctorem illum sanctissimum, parentibus item & non nullis maxime necessariis in consilium adscitis, eligit, quam ambiret, & ab honestiori ambitu haud difficulter impetravit, quam, veluti perpetuam ac fidelissimam vitae & utriusque sortis suae comitem, casto amore per omne seculurae vitae spatium amplecteretur, virginem omnibus sexus sui ornamentis florentissimam, CATHARINAM ELISABETAM GOLDBECKIAM, viduam hodie moestissimam, viri quondam Consultissimi Amplissimique, CAROLI GOLDBECKII, Hereditarii Domini clientelae Warburgensis, inclitae civitatis Stendaliensis Consulis Primarii, & Tribunalis Provincialis Veteris Marchiae Advocati Ordinarii, filiam natu minimam: quam quidem a. d. 1000 d. xi Novembris, nuptiarum sollemnibus Stendaliae peractis, domum duxit, fatis admodum benignis & in omnem sortis mox subsequuturae melioris. Septem enim propemodum annos exegerat Tangraemundae, in alterum annum coniux quum concederet Scheningam, patri meo PAVLO MARTINO NOLTENIO, post pia IOHANNIS BERNHARDI GÖTZII fata confstituto tunc temporis Rectori, succenturiatus ConRector: cui tamen etiam post *decennium pie defuncto*, tamquam Rector, successit, adscendens per eosdem gradus ad Patris mei dignitates, quibus nunc ego, CVNONIS nostri bis successor, eluctatus tandem divina favente gratia sum ad id, quod clementissimi Principis indultu ante hos novem menses demandatum mihi est, alteri a Patris mei excessu Rectori. Qua diligentia, qua fide, quo elegantiorum litterarum apparatu, quo denique rerum praestantissimarum ac scitu iucundissimarum selectu haec sua modo commemorata & alia insuper cum Rectoris & ConRectoris scholae nostrae functionibus coniuncta munera obierit; quum tot inter eius discipulos, quorum ultra sexcentos ecclesiae ac reipublicae formavit, tamquam vivi testes supersint, quorum piis vocibus & elogiis haec celebrantur: longiori narrationi persequi, & ampliori uberius sermonis ambitu exponere, nihil attinet. Voluminibus multis, in lu-

cem publicam edendis, nominis sui famam extendere haud magnopere umquam concupivit, satius esse ducens, sibi suisque Musis vivere & in recta publici muneris administratione conscientiam tueri, quam complures ingenii sui fetus emitendo captare exterorum litteratorum aurum, quum praesertim ii, qui tale aliquid hodie adgrediuntur, periculosaee plenum opus aleae tentent, & incedant per ignes suppositos cineri doloso. Quae tamen publicavit, & pauca, & pro administratae, quam tenuit, provinciae ratione publicata sunt, nec nisi diversi generis Programmatibus, quibus ad acroases scholasticas benevole audiendas bonarum litterarum patronos ac fautores subinde invitaret, maximam partem constant: quorum etiam catalogum ad commentationis huius calcem attexuimus. Vnus iustae molis ac magnitudinis liber ab eo exiit, quo *Memorabilia Scheningae nostrae*, patriae suae, perpetuo ac duraturo in eam pietatis testimonio, persequitur, facili, nec iniucundo sermonis genere & singulari cum diligentia contextus. His autem & omnibus aliis eius laboribus finem imposuit nuperus vitae eius actus ultimus, qui pio beatoque continetur obitu, unde, ut in fabulis, antecedentium reliquorum omnium bonitas ac pretium suspenditur: quem tamen antequam tangamus, non nihil addendum adhuc videtur esse de vita eius privata.

Matrimonio, quod contraxerat, non mediocris, quamvis non nulla tristiorum casuum varietate interdum distincta, felicitas divinitus obtigit, iis saltem aucta commodis, quibus fere sortis humanae prosperior votisque respondens conditio absolvitur ac censeretur solet. Ex omni enim parte praestans fuit florensque, &, quod mortales, perennitatis avidi, optare solent, haud infecundum, quum quinque tori mutuique amoris concordiaeque pignoribus ditatum sit: e quibus tamen duo filii nati priores, uterque IOANNES THEODORVS, & unica filia, BERNHARDINA ELISABETA, turbato mortalitatis ordine, patri ad aeternitatem praeiverunt. Duo reliqui filii, CAROLVS AVGVSTVS, cum IOHANNE THEODORO, poste-

posteriore, fratres gemellus, & IOHANNES FRIDERICVS, virtutis & eruditionis & industriae & accurationis follertiaeque paternae exasse heredes, in hunc usque diem supersunt, honoratioris conditionis viri, & desideratissimi optimeque de se meriti parentis funeri ea, qua par est, pietate, una cum moestissima matre, acerbissime illacrimantur. Inter iucundiora vitae suae numeravit pie defunctus, quod ante hos octo retro annos unicum suam uniceque dilectum filiam, compluribus animi & corporis dotibus praestantem, in matrimonium collocasset Viro Nobilissimo, Experientissimo atque Doctissimo, PETRO GERIKEN, Doctori ac Professore Medicae artis in Academia Julia Carolina celeberrimo, atque honoribus Consilarii Aulici a Serenissimo Patriae Patre hodie aucto ac praefulgenti. Quametsi laetitiam minus ei diuturnam fuisse constet, quum optima huius filiae, post aliquot a primo puerperio menses una cum filiolo, quam enixa erat, extinctae obitu vehementer affligeretur; vidit tamen mox alia, quae gaudii diuturnioris causas afferrent in superstitem filiorum biga: quorum natu maior CAROLVS AVGVSTVS, Offlebio-Reinstorpio-Hohnslebiensium in vicinia Pastor, & aetate minor IOHANNES FRIDERICVS, Ducalis Scholae Guelpherbytanae SubConrektor, uterque autem Philosophiae ac bonarum artium Magistri honores, ille quidem in Göttingensi, hic autem in Wittebergensi Academia, antequam suis praeficerentur muneribus, nactus, rerum suarum, fruuntur prosperitate, ac praestanti in administrandis muneribus fide optimum parentem aemulari etiam atque etiam connituntur. Tres enim vidit nepotes unamque neptem ex uno; unum autem duasque neptes ex altero: de qua utriusque filii sobole & futura sorte eo sperandum melius videtur esse, quum maritas duxerint pi-as omnique virtutum feminearum genere florentissimas: alterum quidem Offlebiensis filii decus, ANNAM SABINAM CHRISTIANAM, haud mediocris dignationis viri, ANASTASII WITTEN, Liberi & Imperialis Capituli, quod Gandesium ornat, Canonici ac Senioris spectatissimi, filiam natu maiorem;

iorem; alteram, quae Guelpherbytano desponsata filio est, ANGELICAM CATHARINAM, viri quondam integerrimi, IOHANNIS CONRADI PINI, Serenissimi Ducis Brunsvicensis ac Lunaeburgensis Praefecturae Gandesienfi a Commentariis, relictam filiam natu maximam. His familiae suae incrementis solari poterat cuncta afflictionum genera, quibuscum aliquando conflictatus est. Nam, ut alia tantisper taceamus, non modo filiae tam bene, tam honorifice elocatae praematurum ex hac vita abitum valde doluit, sed etiam a. c. l. o. c. c. x. x. v. i. gravis & pertinax morbus, quo per integra tria spatia trimestria sic conflictabatur, ut nulla medicamentorum vi expugnari posse videretur, & a. c. l. o. c. c. x. x. v. i. fatalis quidam per putrefactum nimbis corrosivumque ac offibus scholae laquear lapsus pessime habuerunt nostrum. Sibi tamen suisque, divina adspirante gratia, ab utroque restitutus, valuit ab eo tempore pro robore illo insigniori, quo cum primis a natura valebat. Eam enim ceteroquin corporis habuit firmitatem, quae frangi ac debilitari laborum multitudinem molestisque haud facile poterat: unde etiam id aetatis, favente Deo, est consecutus, quod raro attingunt homines eodem vitae *impliciti genere*. Quandoquidem vero nihil tantum firmamenti ac stabilitatis temere habet, quin vetustate multorumque casuum adversitate tandem collabascit; accidit etiam defuncto nostro, quod accidere rebus solet vetustate detritis. In ultimo enim vitae suae decennio multum remisit de vigore pristino, & ipsemet de laterum infirmitate & naturalis caloris defectu subinde conquestus est: quamvis, quod vel ad praecipuam eius laudem pertinet, consuetis laboribus semper esset intentus, numquam in opere cessans, aut cessare volens; quum praesertim etiam obstaret amicis, pro re nata monentibus, ut, quum in dies fieret imbecillior, de quiete impetranda sibi aliquando mallet prospicere, quam exsequi amplius, cui ipsum imparem esse nemo non videret. Quod tamen quum idem abunde sentiret, petiit per preces supplices, qua ante hos novem menses frui coepit,

coepit, missionem honestam: cui tamen id per principalem clementiam additum erat, ut integro suo salario usque ad ultimum vitae diem frueretur, & sic per quietem solari posset tot tolerantium dierum amaritudines.

Valuit ex eo tempore, ut solent senes aetate confecti, qui lassata trahunt vestigia, & grabato maximam partem detinentur: nec tamen indigne tulit imminutas corporis vires; sed in divina voluntate acquiescens, & amicorum, qui forte ipsum inviserent, precibus se etiam atque etiam commendans, permisit Deo si totum, quem publice privatimque usque ad ultimum vitae halitum coluit enixissime. Noverunt enim omnes, quibus a multis retro annis vitae eius omnis ratio cognita fuit atque perspecta, stans eum quotidie horis ad Deum fuisse curatas ac religiosas preces, & gravissimum sincerioris divini cultus adhortatorem existisse familiae suae, nullumque transisse ad noctem vergens diei tempus, quin domus eius personaverit sanctis hymnis piisque cantionibus, quarum quidem concentu praetereuntes subinde vel ad idem pietatis negotium excitati, vel in ruborem acti sint, si eodem Dei colendi studio se minus agi intellexerunt. Inter sanctiora haec exercitia omnem transegit vitam, iisque distinguit tum rei familiaris, tum spartae dextre obeundae curas omnes. Sacra publica neglexit numquam: etiam, quod miramur, extremo vitae tempore, morti vicinus, eundem tenuit morem ad aedem sacram eundi, gradu quamvis testudineo, quum cuperet festinare celerrimo, eos exemplo redarguens, qui quum per aetatem possint uti celerrimo, ne testudineum quidem adhibent, quum itur ad sacra. Erat de cetero in omni vitae actu sui similis, nullas unquam vel molestias vel labores, quos officii ratio postulabat, detrectans aut a se amoliri studens; fidelis semper in eo, quod ipsi incumberebat; aliena minime curans, suis unice rebus intentus; nihil detrahens aliorum honoribus & existimationi; neminem astute vellicans; improbitatis ac petulantiae osor acerrimus; nihil simulans, nihil, quod versipelles faciunt, velans

C

blan-

blanditiis, sed ore semper praedicans, vultuque ostendens, quid haberet in animo; ab insidiarum technis alienus, quum veritatis esset amantissimus, illiusque mens ubique responderet fronti. De se ipso sentiebat modeste: ostentationem eorum, qui verbosis strophis famam captant, vel aurae populari insidiantur, aut omnino adfurgere solent altius, quam par est, averfabatur. Abhorrebat ab omni iocandi pravitate, damnans omne id, quod castitati ac bonis moribus inimicum sit, & pristinam veterum frugalitatem, cuius per omnem vitam retinentissimus erat, pessumdet. Quiete & otio, quo frui nuper coepit, sic usus est, ut disponderet cuncta, quae disponenda erant, ne mortis interventu turbaretur vel aliena negotia in eo, quod tunc sibi unice agendum esse arbitrabatur. Et recte quidem ac tempestive res suas disposuit noster, divinans quasi praesagientisque animi indicia ferens, non diu abfore tempus illud, quod nunc infecutum est, & beato eius ex hac vita exitu terminatus. Reddidit autem animam Deo, unde habebat, divinis epulis paullo ante in aede publica refectam, & sic etiam hoc modo bene praeparatam, nullo tentatus, nisi senectutis, morbo, soli naturae deficienti concedens, sine ullo dolore, sine tremore artuum, sine singultibus illis, qui mortem ceteroquin quam proxime antecedunt, sine distorti oris deformitate, inter suas ipsius non minus, quam fideliter adfistentis Summe Reverendi SCHROETERI, Praefulis nostri, ad Christum directas preces, placide admodum, quasi alto sopitus somno, obdormiscens, nupero die XXVII Septembris, circa horam vespertinam quintam, quum vixisset annos LXXII, menses V, dies V.

Hic vitae CVNONIS, bene meriti senis, cum honore & laude exactae cursus fuit: his diversarum scenarum actibus vitae ille fabulam peregit, eamque sic finiit, ut aevo nunc gaudeat sempiterno. Discendum exemplo eius est, ut, si supremus nobis etiam illuxerit dies, haud ille nos offendat imparatos, sed tales, quales quidem oportet esse eos, qui
 quae-

quaevis subsecuturae vitae tempora atque adeo ipsam aetatem extremam pio dudum praeceperunt animo. Quid enim est, quod longa futurorum annorum serie vitam nostram metiamur, & inani diuturnitatis voto spem inchoemus longiorem, quam fragilitatis humanae intuitu licet. Praesentibus pie utamur: crastinus dies haud in potestate nostra est. In dubio illi & ancipiti salutem animae suae collocant, qui id, quod ad sapientiae, divina luce collustratae, leges agendum est, in hac ipsa graviore causa paullo agunt negligentius. Valde insipienter ad ultimam contendimus vitae metam, si senectutis ultimae fiducia ad magnum illud negotium, quo mors, eiusque certissima comes, aetas provector, moderate cum beate defuncto ferenda, atque omnino divina quadam per Spiritum S. in mentibus nostris accendenda animi altitudine vincenda ac despicienda est, minus recte incumbimus. Vivimus in tempore, & cum fugaci tempore aliquam vitae partem quotidie deponimus, eo semper maiorem, quo minus spatii ad vivendum singulis restat. Neque etiam vivimus; sed, si recte iudices, morimur semper, quum mors singulis momentis a nobis decerpit aliquid, sibi que vindicet. *Interit vir, ait PLUTARCHVS, ubi senescit: perit iuuenis, quando vir evasit; puer, quando iuuenis; infans, quando puer: atque hesternus dies in hodiernum decessit; hodiernus in crastinum exspirat.* Quicquid vitae singulis, quotquot eunt, diebus accrescit, simul decrescit, nec ullo momento id, quod in homine vitale est, durat, sed loco semper movetur, & morte illa quotidiana ac perpetua interimitur. Quid multa! Omnis vita nostra per meras mortes ducitur. Inter mortem autem illam, quae perpetuo inter assiduitatem naturae id, quod sine sensu amittitur, vix saepenumero nec nisi aegre restituentis, partium vitalium vigorem necat, & inter mortem, qua semel conficimur, omnemque vis motricis actum penitus impedi-ri ac plane tolli constat, hoc dumtaxat interest, quod in hac maior hiatus reperiatur inter vitam amissam & recuperandam, quam in illa. Vtraque tamen, quotidiana perinde at-


C 2

que

que extrema, vera mors est, quae praeterlabentem vitam sine ulla intermissione insequatur, atque uno tandem impetu enecet. *Quemadmodum enim, ut SENECA ep. XXIV. ait, clepydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit; sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.* Omnem autem huius mortalitatis sensum, quo ad piam extremae mortis meditationem excitamus, amisit beate defunctus noster, vivitque nunc eam vitam, in quam nulli mortis generi amplius aliquid licet, & quae una proinde verae vitae nomen & habet & tueri potest. Moeftissimae viduae & utriusque filio, desideratissimi coniugis ac parentis funeri valde ingemiscensibus, ceterisque, qui vel sanguinis vel artiori propinquitatis ac necessitudinis vinculo cum pie defuncto coniuncti sunt, & vel eodem vel simili moeroris affectu hoc illius excessu adfliguntur, divinae consolationis ubertatem, & vel eandem, qua beate mortuus usus est, vel diuturniorem etiam felicioris vitae usuram, atque omne id, quo summus humanae prosperitatis apex, penitus absolvitur, eo, quo ipsos prosequimur, animi candidioris affectu pie apprecamur. Corpus beati viri exanime aliquot abhinc diebus, flexa iam in noctem vespera, ut ipsi praescripserat, sine sollemniori caerimonia, sine splendidiore apparatu, honestissime tamen in ipso templi meditullio Monasterii Laurentiani, urbi nostrae ab latere occidentali adiacentis, cui tamquam Sub-Prior per tot annorum spatium fidelem navavit operam, inhumatum est. E regione in pariete erigetur proxime monumentum, condecorandum epitaphio, quod sibi-
met ipsi pie defunctus confecit,
& sic habet:



HEIC



HEIC

DEPOSITAE REQVIESCVNT EXVVIAE

SIGISMVNDI ANDREAE
CVNONIS,

QVEM,

PARENTIBVS HONESTIS,

IOHANNE HENRICO

CVNONE,

NEO-HALDENSLEBIENSI,

CIVITATIS SCHENINGENSIS CONSVLE,

ET

CATHARINA HEDWIGE

RAPPOSTIA,

SCHENINGENSI,

ANNO d**o** b**c** LXXV DIE XVIII APRILIS SCHENINGAE

ORTVM,

SVPREMVVS VNIVERSI HVIVS RECTOR

PRIMO DEDIT

SCHOLAE TANGRAEMVNDENSI IN VETERI MARCHIA

ANNO d**o** b**c** c**i** RECTOREM,

C 3

DEIN

DEIN

DVCALI ATHENAEO PATRIO
ANNO d b l b c c v i i CONRECTOREM
ET COENOBIO HVIC CONVENTVALEM
TVM

ANNO d b l b c c x v i i RECTOREM
ET COENOBIO HVIC SVB-PRIOREM,
POSTREMO AVTEM

ANNO d b l b c c x l v i i D. XXVII SEPTEMBRIS
EXANTLATOS POST LABORES SCHOLICOS
EX AERVMNOSA TERRESTRI SCHOLA
IN COELESTEM TRANSLOCAVIT ACADEMIAM
ANNO AETATIS LXXIII.

MARITA MOESTISSIMA,
**CATHARINA ELISABETA
GOLDBECKIA,**
STENDALIENSIS,
**M. CAROLVS AVGVSTVS
CVNO,**
PASTOR ECCLESIAE OFLEBIENSIS, REINSTORFFIENSIS
ET HONSLEBIENSIS,
G. M. P. C.
MARITO ET PARENTI OPTIMO.

CATA,

CATALOGVS SCRIPTORVM

A

B. RECTORE CVNONE
EDITORVM.

TANGRAEMVNDAE.

Recturae quam diu praeficit Scholaisticae, Scripta publicae luci
exposita sunt ab eo subsequencia :

1. *Programma de diligenti S. Scripturae perscrutatione*, die 4. Januarii 1702. quinque orationibus publice habendis praemissum, quibus expositi quinque honoris tituli, quos Propheta Esaias recens natum Jesum cap. IX. 6. ornat, ipsum *Mirabilem, Consiliarium, Deum fortem, Patrem aeternum, Principem pacis* appellitando.
2. *Programma de praestanti, admirando & perutili eloquentiae dono*, ad tirocinia quadam oratoria Patronos invitans, d. 22. Dec. 1703.
3. *Programma de osculo valedictorio, quo peregre abituri suis in dimissionibus olim sunt*, Actui Valedictorio d. 10. Mart. 1704. praemissum.

SCHENINGAE.

in illustri Anna-Sophiano dum ConRectoris sparta functus est,
nihil, praeter nonnulla carmina, evulgavit.

Dum autem Rectoris eiusdem Anna-Sophianeum munere
functus est, evulgavit sequentia :

1. *Programma Invitatorium ad audiendam Orationem Panegyricam, Frederico I. Borufforum Regi, a Gebhardo Ludolpho Krausio, Stendaliensi, dictam*, ed. d. 23. Febr. 1717.
2. *Programma invitatorium ad Jobelaei Secundi Evangelici sollemnitatem, quae in diem 31. Octobr. 1717. incidebat, orationibus quibusdam discipulorum die subsequenti 2. Novembris celebrandam.*
3. *Programma de Exercitatione, ad artium operumque omnium perfectionem necessaria*, Actui Oratorio praemissum d. 16. Sept. 1718.
4. *Programma de Praestantissimo litterarum invento*, Exercitationi Oratoriae praemissum d. 14. Febr. 1719.

5. Pro-

5. *Programma de Penna, instrumento artis haud ignobili, quo ad Orationem de Penna, nec non alias quasdam habendas Auditores advocantur, ed. d. 8. Mart. 1719. Oratio de Penna typis eodem anno exscripta est.*
6. *Programma de Charta, dono Numinis benignissimi eximio, quo indicitur Oratio de Charta, publice habenda, ed. d. 13. Mart. 1720. Oratio ipsa eodem anno impressa est.*
7. *Programma de Atramento, pigmento litteratorum peculiari, Orationem de Atramento, publice recitandam, indicens d. 21. Septembr. 1720. Oratio non excusa est.*
8. *Programma de origine Festi S. Michaëlis, quo non nullae discipulorum orationes, publicae proponendae d. 25. Sept. 1720. intimantur.*
9. *Programma de Typographia, munere vel ipsis superis invidendo, quo ad acroama valedictorium Patroni advocantur, ed. d. 20. Mart. 1721. Oratio, cui hoc Programma praemittitur, de Typographia eodem anno est impressa.*
10. *Programma de Vulpeculis Scholasticis haud incelebribus, quo ad exercitium Oratorium Patroni invitantur, ed. d. 21. Sept. 1721.*
11. *Programma invitatorium ad Memoriam beatæ Principis Annae-Sophianei, d. 26. Julii 1721, qui optimæ Ducis onomasticus est, Panegyrica redintegrandam Oratione, indigenas & externos invitans literatos, ed. pridie modo dictæ diei.*
12. *Oratio Encomiastica, Ducem beatissimam, Annam Sophiam, benignissimam Anna-Sophianei Scheningensis ante hos 76 annos Fundatricem, levi adumbrans penicillo, habita publico in conventu ab defuncto d. 26. Jul. 1721. Oratio eodem anno etiam impressa est.*
13. *Programma de Victu & Amictu Anteambulonis Christi, S. Johannis, divinarum humanarumque litterarum Patronos & Fautores ad Acroasin Oratoriam pie arcessens, ed. d. 23. Jun. 1722.*
14. *Programma de Scholarum primordio, illarumque propagatione, Actui Oratorio-Valedictorio, d. 21. Sept. 1723. a quibusdam Auditoribus nostris instituendo, praemissum.*
15. *Oratio, Ducalis Anna-Sophianei apud Scheningenses historiam a prima fundatione ad haec nostra usque tempora percensens, luci publicae exposita 1723.*
16. *Programma de Philopatria, Oratorio Actui d. 8. Maii 1724. praemissum.*

17. Pro-

17. *Programma de eximiis Ducatus Brunovicensis felicitatibus*, Acroamati Oratorio d. 30. April. 1725. praemissum.
18. *Memorabilia Scheningensia, Historiae Brunovicensi passim inservientia, vetustiorum documentorum, diplomatum & MStorum auctoritate corroborata, & indice necessario instructa*, quae Brunsvigae & Lipsiae prostant impensis *Simonis Jacobi Rengeri* 1727. 4. *Memorabilibus his continentur etiam*
19. *Sex Orationes de Salinis Scheningensibus, munere divino urbi nostrae antiquitus concessis*
20. *Inscriptio Programmatica, ad Actum Oratorium, d. 22. Iulii 1726. instituendum, Patronos invitans.*
21. *Programma de Otio bene collocando, ad Acroasin oratoriam, d. 28. Apr. 1727. instituendam, rei litterariae Patronos decenter advocans.*
22. *Programma, Praeceptores ad colonos aequiparans, Actui Oratorio d. 14. Jun. 1728. habendo, praemissum.*
23. *Programma de Praecipuis natalis Christi nominibus, Acroasi Oratoriae, d. 10. Jan. 1729. a quibusdam discipulis instituendae, praeludens.*
24. *Programma, Praeceptores cum nutriculis comparans, Exercitationi Oratoriae, d. 24. Aug. 1729. instituendae, praemissum.*
25. *Programma de Jobelaeis, Eucharisticae ac Jobelaeae Augustanae Confessionis celebritati d. 27. Jun. 1730. consecratum, & Actum Oratorium illi materiae dicatum commendans.*
26. *Praecox Academicus, adumbratim descriptus atque Acroamati Oratorio, d. 9. April. 1731. instituendo, praemissus.*
27. *Sanctae pietatis Thyterium, Dn. Augusto Wilhelmo, nec non Dn. Ludovico Rudolpho, utrique Brunovicensium ac Lüneburgensium Duci Serenissimo Illi die 23. Mart. 1731. placide obeunti; Huic vero ditiorum suarum regimen feliciter adeunti, debitum, & publica Oratione in Ducati apud Scheningenses Anna-Sophiano d. 20. Aprilis anni eiusdem pie ponendum.*
28. *Vota strenaeque Januariarum post captum felix anni 1732. primordium, quum non nulli Anna-Sophianeis alumni in dicendo d. 15. Januarii a. d. periculum essent facturi, punctatim velut sub oculum redactae.*
29. *Sciagraphia sollemni Panegyri Scholasticae quarundam declamationum, quarum I. tradit varia Festi Epiphaniae nomina; II. indicat*

D

institu-

institutam Magorum Quaestionem; III. inquit, num Magi fuerint Reges? IV. agit de Stellae, Magis exortae, qualitate; V. proponit Trigam Quaestionum, pellam circa conspectam movendarum; VI. differit de Principibus sacerdotum & scribis, ab Herode convocatis, dataque illorum responsione; VII. proponit Primam Iudaeorum Obiectionem contra scribarum Responsum ex Michae cap. 5; VIII. expromit duas alias Iudaeorum obiectiones contra Matthaei capitis 2. v. 6. & Michae capitis 5. v. 2. Patronis ac Fautoribus die 11. Januarii 1723. exhibita.

30. *Programma ad Turcologiam, seu non nullas de rebus Turcicis declamationes, audiendas, Maecenates, Patronos ac Fautores arcessens, ed. die 17. Januarii 1734.*
31. *Syncharistica Augustissimorum Genethliorum celebritas Dn. Ludovici Rudolphi, Ducis Brunovicensium & Liinaeburgensium Serenissimi, die 22. Julii 1734. omine dextro ac positu coeli faustissimo reditura, a quibusdam Anna-Sophianeis sympalaestritis votiva gratulatione publica pie cohonestanda, die 21. Julii a b. defuncto Rectore denuntiata.*
32. *Schedium & Latialium & Teutonicarum quarundam Declamationum, exstantiora non nulla perversae iuventutis vitia taxantium, ed. die 21. Augusti 1735.*
33. *Declamationes Gymnasticas XI. partim Teutonico, partim Latiali, partim Pelasgo sermone, prorsa item ac versa oratione, de variis materiis conscriptas, & die 21. Julii 1736. publico in confessu recitandas denuntians Programma, ed. pridie modo dicti diei.*
34. *Problemata quatuor Theologica de S. Bibliis legendis, a quibusdam Ducalis Anna-Sophianeis commilitonibus d. 21. Aug. 1737. decem oratoribus Latinis enodatus paullo explananda perofficose indicat pridie dicti diei.*
35. *Historica Ennarratio, qua suis Auditoribus d. 21. Octobr. 1737. quum, publicas continuaturus praelectiones, auditorium esset denuo ingressus, admirandam suae admodum periculosa d. 21. Sept. dicti anni hora ad X. antemeridianam dimidia per putrefactum nimbis peresumque vermibus Classis secundae Anna-Sophianeae laqueas ex duodecim, & quod excurrit, pedum altitudine factae prolapsionis rationem exponebat, eosque simul ad promeritas divino sospitatori secum decantandas laudes inflammabat.*

36. *Exercitationum quarundam declamatoriarum Farrago*, 25. Augusti luce, ob praesentem lapsabundi quondam Ducalis Anna-Sophianeae restorationem, Nobilissimi Amplissimique Scheningensium Ordinis Senatorii indultu in Curia urbana, bono cum Deo, *proponenda*, publice d. 24. Aug. 1738. denuntiata.
37. *Sancta Teleta Ducalis apud Scheningenses Anna-Sophianeae, quondam lapsabundi, post peractam illius tandem feliciter redintegrationem in Dei T. O. M. honorem pro fausta operis consummatione instituenda & Actu Oratorio a quibusdam illius sympalacstritis* d. 11. April. 1741. publice concelebranda, omnibus religiosis diuinae bonitatis admiratoribus studiose atque officiose indicatur.
38. *Kurzer Entwurf, wie es am 11. Tage des Monats April dieses ietztlauffenden 1741. Heil-Jahrs nach der seit dem 10. Martii 1738. angefangenen und bisher gedauerten Reparation der Hochfürstl. Anna-Sophien-Schule alhie zu Scheningen, als an derselben begangenen Einweihungs-Feste, zum Christlichen Andenken bemerket.*
39. *Auspice Christo, illo secundum Prophetam lingua erudita pollente magistro scholasticas res nostras porro prosperaturo, non nullae Declamationes Scholasticae in Ducali Anna-Sophianeae, nostra quod continet Scheninga, a quibusdam illius Sympalacstritis instituendae quibuscumque Musarum ac nostri Parnassi Patronis, Fautoribus, Amicis, dignitatis, quo convenit, encomio condecorandis, more solenni denuntiantur.*
40. *Ad Pyrologiam, seu non nullas de Notabilioribus urbis Scheningae Incendiis, nec non ad fines alias huic materiae Latinas Declamationes a quibusdam Ducalis Anna-Sophianeae apud Scheningenses indolis erectioris commilitonibus crastina 30. Julii, utpote magni istius uno abhinc saeculo, anno videlicet 1644. exorti heic Scheningae incendii die memoriali, summo favente Numine, instituendas ac benevole audiendas Maecenates, Patroni, Fautores & Amici honoratissimi officiose invitantur. Vltimum hoc beati C V N O N I S programma editum est d. 29. Julii 1744.*



'MANTISSA ;'
DOLOREM EX OBITU B. RECTORIS EMERITI
ACCEPTVM VALDE AVGENS.



Ondum haec Commentatio typis penitus exscri-
pta erat; quum ecce! alia calamitas CVNONIAM
gentem frangit ac male habet. Nupero enim
XVII. Oct. die filius CVNONIS nostri natu minor,
IOHANNES FRIDERICVS CVNO, Philo-
sophiae ac bonarum artium Doctor ac Magister,
& Ducalis Scholae Guelpherbytanae Sub-Con-
rector, cuius, tanquam paternorum studiorum
aemuli, honorificam aliquoties pro re nata mentionem illic
iniecimus, ardente febris correptus, placida quidem beataque,
at praematura eheu! morte obiit. Sic nimirum Matri moestis-
simae Fratrique vnico vulnera super vulnera infliguntur, & a-
cerbum Rectoris nostri Emeriti obitum tam cito subsequuta Fi-
lii iunioris mors facit multo acerbissimam. Nos, qui ipsimet
tristiori hoc atque adeo gemino casu non mediocriter percel-
limur, non possumus, quin huic pie demortuo, Rectoris Eme-
riti, quin etiam nostro ipsius aliquando filio, utpote quem una
cum Fratre ipsius, tanquam probum ac diligentem discipulum
habuimus, parentemus subsequenti hac qualicumque Elegia:

Siccine morte ruunt gemini, natusque Paterque?

Heu, nimium casu mors truculenta suo!

Vix Genitor defunctus erat, quum filius ecce!

Patris imago sui, fata paterna subit.

Rebus in humanis ita mors grassatur acerba,

Vt subolem iungat dira subinde patri.

Alma fides, luge: ludi, lugete, sodales:

Luge, Pieridum dedita turba choro.

Si Pater occubuit senio confectus & annis;

Filius ah! nimium praecoce morte perit.

Ingeme, quisquis amas nomen pietatis, & aevi

Sis memor, & vitae respice fata tuae,

Ne,

Ne, si longævam tibi polliceare senectam,
 Praepropero veniat mors inopia pede;
 Et mecum lacrimare, precor, tristemque ruinam,
 Quam pia gens patitur, corde gemente dole.
 Exigit hoc virtus defuncti vivida nostri,
 Et mentis probitas integritasque viri.
 Per Patrem didicit pectus coluisse per artes,
 Castalidumque sacris invigilare choris.
 Per Patrem didicit coeli novisse potentem,
 Atque voluntatis dogmata sancta Dei.
 Scilicet haec potior dos est, mihi crede, parentes.
 Quam suboli condant concilientque suae,
 Semina doctrinae si cum pietate relinquunt
 Pectoribus teneris filiisque suis.
 Nam bene defunctus senior, Pater optimus huius,
 Quem modo deflemus, noverat hancce viam.
 Maluit ille suis verae pietatis amorem
 Linquere, quam ditis fusa metalla Tagi.
 Complures alii magno molimine tentant,
 Ut cumulent nummis divitiisque suos,
 Scilicet ut proli scelerum fomenta relinquunt.
 Corradunt quidvis, quo-modo-cumque queant.
 Nonne vides, miserande pater, qui nocte dieque
 Illud sollicito pectore semper agis,
 Ut tibi nummorum cumuletur acervus & auri,
 Unde piger capiat pabula ventre nepos?
 Vah! quanto studio, quantoque laboris ab aestu
 Exitium suboli perniciemque struis.
 Nonne vides, frustra tibi sumtos esse labores,
 Officiiue tui quam male cedat opus?
 Est, qui per luxum lautae sibi fercula mensae
 Apparat, ac pleno gutture vina bibit,
 Ut cito dilapidet perfrictae frontis alumnus,
 Quae liquit duro parta labore pater.
 Est, qui fretus opum cumulo pigra pectora somno
 Mulcet, & exiguo tempore pauper eget.
 Et vidi iuvenem, quem perdidit alea pernox,
 Qui frugi nummis absque futurus erat.
 Vidi, qui vitae luxu sibi rumperet annos,
 Et quem praepropera morte referret humus,


Quod sibi, non aliis, vivendum crederet esse,
 Nec patrias heres serus adivit opes.
 Non ita CYNONIAE docuit nos gloria mentis,
 Quam virtus acuit splendidiusque decus.
 Quamlibet haud unquam Patri res artior esset,
 Haud tamen illecebris est locus inde datus:
 Sed quasi pauperies Musae stimulasset amorem,
 Incubuit studiis Gnatus uterque suis.
 Nunc minor ah! utinam vivus supereslet in orbe,
 Annos qui Pylios vivere dignus erat.
 Si porro, quas nactus erat, decoraret habenas,
 Et posset spartae rite praeesse suae;
 Tunc dederit meliora suae conamina mentis,
 Surgat ut inde piae sancta caterva scholae.
 Doctrinae tot enim tenuit documenta paternae,
 Vt Patris ad morem sceptrata tenere sopheri
 Non sine laude sui posset, regnoque potiri,
 Quod iuvenum placida dirigat arte caput,
 Et studiis designet iter, Tritonia Pallas
 Quo vehitur, doctis iuncta virago choris.
 Plurima quid referam? tot erat virtutibus auctus,
 Quot lacrimis eius flet viduata domus.
 Non illum praeceps animus de tramite recti
 Torfit, ut erroris turpia signa daret.
 Non odium, non livor edax, non improba cura
 Adfixit nostri pectora casta viri.
 Cor nive Candidius, mentemque gerebat apertam,
 Et nitida iunctum cum probitate decus.
 Tum quando subiit, populum tractare futurum,
 Ac sibi commissi scamna locare gregis;
 Vt servans aequi? quantus defensor honesti?
 Vt facilis lepido more magister erat?
 Nil vultu tetricum, prae se nihil ore ferebat,
 Quo bonus ingenui dedecoretur honos.
 Laetus erat vultu, sed cum gravitate senili:
 Qualis eum ratio, qui docet, usque decet.
 Dum piger ad poenas venit, moderamine facto,
 Laetior ad nutus tota palaestra stetit.
 Candida compositis vita fulgebat in omni
 Moribus Eusebie, pectore culta pio.

Comis

Comis erat, comitesque sibi coniunxerat omnes,
 Qui, cunctis faciles, felle minace carent.
 Flectere nec poterat tantae virtutis honores;
 Quae premit heroum pectora saepe, febris;
 Febris acuta, furens, artus ardoribus urgens,
 Quae celebri nostrum sustulit orbe virum.
 Quamlibet hoc valde premeretur pondere morbi,
 Raderet & corpus vis animosa necis;
 Haud tamen impatiens fertur fractusque fuisse
 Mente, nec imprudens verba proterva dedit.
 Quin placida se mente Deo permittit, ocellis
 Aërei spectans splendida tecta poli.
 Haec sitiit moriens: cita mors complectitur artus,
 Suetaque vivendi vincla soluta iacent.
 Qualia verna novis exspirant lilia campis,
 Aut rosa mordaci falce resecta cadit.
 Illius est equidem supera mens sede recepta,
 Vivit & adspectu facta beata Dei;
 Flebilis excessus tamen est, viduaeque relictæ
 Et trinae suboli concidit ante diem.
 Et Tua, CUNOIDES, Mater moestissima luget,
 Et *Frater* lacrimans Te sine fine dolet.
 Ingeminas vulnus Genitoris morte receptum,
 Quemque facis, sese vix caepit ipse dolor.
 Possequimur lacrimis quoque nos Tua fata dolentes,
 Nostraque mens grandi fessa dolore stupet,
 Et Tua moerentes tumulamus membra sepulcro,
 Inferimusque levi corpus inane solo.
 Moesta manus iuvenum lugens & tota caterva
 Pone secuta, cubent mollita ossa, rogat.
 Soletur Deus ipse Tuos, qui funere fracti
 Multis cum lacrimis ad Tua busta gemunt.

BEATVM SENIS VENERANDI PRAECLAREQVE
 DE GYMNASIO NOSTRO MERITI RECTORIS OBITVM
 SVBSEQUENTIBVS PROSEQUEBATVR,
 M. IOHANNES ARNOLDVS BALLENSTEDT,
 Con-Rector.

Sic


Sic rude donatus Moderator Duxque iuventae
 Qui cum laude sua lustra per octo fuit,
 Et qui Nestoreos vitae prope contigit annos,
 Occubat & placida morte beatus obit.
 Quid valde optamus longam complere senectam,
 Atque Sibyllinos vivere saepe dies?
 Dum constant vires, superat dum laeta iuventus,
 Acrior heu mentem cura metusque domant.
 Siue tibi vivis, mollesque inglorius annos
 Exigis, invitum te mala multa prement;
 Siue geris nomen, remeat labor actus in orbem,
 Nec mora defesso, nec datur ulla quies.
 Tum venit haut strepitum passu faciente senectus,
 Et nive conspergit tempora tristis hiems,
 Egelidusque hebetat sanguis, moribundaque membra
 Deficiunt senio, pesque manusque cadunt.
 Haec fors humana est, cuius non nescius Urbis
 Qui rexit nostrae sedulitate scholam.
 Vidimus incuruum reptantem ad limina templi:
 Tantus erat Nostro religionis amor!
 Viderunt Cives pronum, tactique dolore
 Multis cum lacrimis ingemuere Viro.
 Sic Tibi quae poterat vitae, Clarissime Rector,
 Oppresso fatis esse cupido malis?
 Non nisi coelorum, quoties convenimus una,
 Dulcia narrabas gaudia prompta piis.
 Claudere nil aliud nisi lumina morte volebas:
 Quas Deus haud vanas nunc finit esse preces.
 Fis voti compos, placida nunc morte quiescis:
 In coelis meritis digna brabea capis.
 Utque suos repetit post frigora gramen honores;
 Marcidus ut ficco flos revirescit agro:
 Sic quoque defunctum corpus tellure resurget,
 Et vitae capiet gaudia mille novae.
 Interea memores meritorum, Docte, Tuorum,
 Sic cineri flores spargimus hosce Tuo.



Quum sphalmatum tollendorum curam Auctor ipse in se suscipere
 haud potuerit; praeter omnem opinionem subsequencia, pro scriptionis
 exiguitate quidem satis multa, irrepererunt: quae, quum verborum sensui
 obstare subinde videantur, adnotare saltem heic consultum esse duximus,
 ne eruditus Lector de seiorum multitudine
 vehementius indignetur.

- | | |
|--|---|
| <p>P. 3. v. 3. pro <i>nimirum</i> lege <i>nimum</i>
 v. 6. p. <i>decussum</i> l. <i>decursum</i>
 4. v. ult. post <i>CVNO</i> deleatur <i>punctum</i>, & substituatur <i>comma</i>.
 5. v. 8. p. <i>muros</i> l. <i>mutos</i>
 v. II. p. <i>possint</i> l. <i>possit</i>
 7. v. 31. p. <i>honorarior</i> l. <i>honoratior</i>
 10. v. 4. p. <i>fidere</i> l. <i>fideri</i>
 v. 12. p. <i>societam</i> l. <i>societatem</i>
 II. v. 16. p. <i>quo tum</i> l. <i>quorum</i>
 12. v. 14. p. <i>compediebat</i> l. <i>impediebat</i>
 13. v. 3. p. <i>eligit</i> l. <i>elegit</i>.
 v. 15. p. <i>omnem</i> l. <i>omen</i>
 v. 17. post voc. <i>Coniux</i> apponatur <i>comma</i>.
 v. penult. p. <i>narrationi</i> l. <i>narratione</i>
 14. v. 5. p. <i>aurum</i> l. <i>auram</i>
 15. v. 1. p. <i>fratres</i> l. <i>frater</i>
 v. 8. p. <i>dilectum</i> l. <i>dilectam</i>
 v. 16. p. <i>quam</i> l. <i>quem</i>
 v. 25. post <i>suarum</i> deleatur <i>comma</i>.
 16. v. 4. p. <i>praefecturae</i> l. <i>in praefectura</i></p> | <p>P. 16. v. 13. p. <i>ac ossibus</i> l. <i>a ossibus</i>
 17. v. 10. p. <i>si</i> l. <i>se</i>
 18. v. 12. p. <i>vel</i> l. <i>per</i>
 v. 17. p. <i>terminatus</i> l. <i>terminatur</i>
 v. 20. p. <i>dies V.</i> l. <i>dies XV.</i>
 20. v. 4. p. <i>clepydram</i> l. <i>clepsydram</i>.
 v. 8. p. <i>excitamus</i> l. <i>excitamur</i>.
 v. 22. p. <i>ipsi</i> l. <i>ipse</i>.
 22. v. 22. p. <i>G.M.P.C.</i> l. <i>H.M.P.C.</i>
 23. v. 14. p. <i>quadam</i> l. <i>quaedam</i>.
 24. v. 15. p. <i>praenuitur</i> l. <i>praemititur</i>.
 v. 19. p. <i>Anna-Sophiane</i> l. <i>Annae Sophiae</i>, <i>Anna-Sophiane</i> nostri <i>Fundatricis</i>.
 v. 25. p. <i>ab defuncto</i> l. <i>à b. defuncto</i>.
 26. v. 3. p. <i>pellam</i> l. <i>stellam</i>.
 v. 28. p. <i>oratoribus</i> l. <i>orationibus</i>.
 v. 34. p. <i>laqueas</i> l. <i>laquear</i>.
 27. v. 16. voc. <i>Feste</i> addatur <i>gehalten</i>
 29. v. 2. p. <i>inopia</i> l. <i>inopina</i>.
 31. v. 24. p. <i>caepit</i> l. <i>capit</i>.
 v. 30. p. <i>mollita</i> l. <i>molliter</i>.</p> |
|--|---|



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of faint, illegible text, appearing to be organized in two columns. The text is too light to transcribe accurately.



